

150 CASP. BARTHOL. l. 2.
dum erectiores: & cum somnum pe-
terent, ad eandem prius lenire mer-
tes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. Huic affinis mos fuit Indorum, qui Tibiarum cantibus Regem admonuere, quoties dormitum pergebat, ut bonis uteretur somniis, atque benignus erga subditos, & illis bene consulens surgeret, quemadmodum referenti *Philostrato* credimus, de vita Apollon. lib. 2. Ad conciliandum somnum adhibitam symphoniam monet *Seneca* lib. de Provid. cap. 3. ubi Mæcenatem tradit in diuturna ægritudine infomniorum variis ex rebus remedia quæsvisse; *Felicio*rem, inquit, ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & morosæ uxoris quotidiana repudia deflenti somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lenesonantium, quæritur. Tales Tibiarum præcentiones Gentiles Diis suis obtulisse, eosdemque matutinis etiam horis Tibiarum cantibus Deos suos salutare solitos testis est *Arnobius*,
quam-